



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 1. Varij modi, quibus Deus homines alit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Psal. 67.  
11. Ios. 5.  
12.

possit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus,*  
De filiis Israël dicitur: *Et comederunt de frugibus terra.* Quid sequitur? *Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terra, nec usi sunt ultra cibo illo filij Israël, sed comederunt de frugibus presentis anni terra Chanaan.* Sic contingit filiis Dei: manna habent, sed manna subducitur, quando, celestibus neglectis, ad terrena gaudia conuertitur. Nec enim diuina delectatione dignus est, qui præponit humanam.

## CAPVT. XI.

*Alia diuina, erga Dei seruos, dulcedinis exempla.*

## §. I.

*Varij modi, quibus Deus homines alit.*

**N**emo queratur de suis temporibus, neque præferat nostro æuo sæcula antiquiora, quasi iam minus dulcis sit Deus, aut non ita beneficus, sed benefaciendo fatigatus. Adhuc idem est Numen, quod fuit semper; adhuc, sicut omni æuo, Mundum gubernat. Primum terræ; hortorum; arborum; agrorum fructibus; deinde piscibus aquarum; tum etiam auibus, per ærem, aduolantibus, denique feris dome-

domesticisque animalibus alit homines; & quosdam quidem otiosos, quibus quodammodo victum *tellus inarata* gignit; alios autem manuum labore ac *sudore vultus* panem vult comparare. Alijs, per amicos, & beneficos, alijs, per piorum liberalitatem mittit escas. Non rarò, per Angelos, eos, qui Angelicam vitam instituerunt, aut cibus, aut non visibili alimento, alit.

§. II.

*Nicolai Helvetij victus.*

In pueros notum est, quid Nicolao Heluetio, propè nostris temporibus, factum sit. Omnis illi cibus, omnis gustus erat SS. Eucharistia. Nihil esculenti, per tot annos, sumebat, nihil quod vel alere, ne dum delectare palatum posset. Pro nectare & ambrosia fuit illi Christus. Sed, quia vita illius à P. Petro Hugone nostro copiosè descripta, in manibus est, nolo hìc paginas implere. Satis est, monere, nihil delicatius, dulcius, exquisitiùsve à Deo homini dari potuisse, quàm filij sui, in Eucharistia, corpus, quod quò sæpius dignè, eò etiam suaviùs manducatur; neque nauseatur, nisi à stomacho vitioso, & mel, tanquam fel, respiciente.

Petr. Hugo in vita eius.

§. III.